

# Römische Beiträge zur Korrespondenz des Herzogs Wilhelm V. von Bayern aus den Jahren 1593—1594.

Von Dr. JOSEF SCHWEIZER.

(Schluß.)

## Urkunden.

17 (55). Hzg. Wilhelm an Kardinal C. Aldobrandino: Es kam ein Sekretär des Nuntius Portia nach München. Da er nach Rom geht, bekam er den Auftrag mit, um die Konfirmation der Exemption der Propstei Berchtesgaden zu werben, nachdem von der Rota bereits eine dreimalige Erkenntnis vorliegt. Landshut, Dezember 2, 1593.

Ebd. f. 114 Original.

III<sup>me</sup> etc. Mittit Sm<sup>i</sup> D. N. nuncius, dominus comes de Portia, Reginium, suum ministrum, ad Urbem, cui apud nos transeunti comisimus, ut III<sup>mae</sup> et R<sup>mae</sup> D. V. amica nostra studia parataque ad omnem occasionem officia deferret ac simul monasterii Berchtesgadensis exemptionem praeter spem nobis iam ante ostensam, praeter utilitatem quoque ipsius monasterii longius dilatam, iam tandem expediri peteret. Non equidem dubitamus, quin in re tam liquida, iusta pariter et favorabili sententia subsecutura sit confirmatoria eorum, quae tertia iam vice a Rota Romana omnibus causae meritis iuribusque maturo iudicio perpensis gravissime et prudenter fuerunt decreta. Ut tamen illud quanto <sup>a)</sup> citius fiat omnisque mora e medio tollatur, maxime desideramus. Et quemadmodum plane compertum habemus III<sup>mam</sup> et R<sup>mam</sup> D.V. ea in re (114<sup>v</sup>) perficienda omnia posse, ita quoque confidimus eandem in gratiam et amicitiam nostram libentissime facturam esse. Dabimus nos vicissim operam, ut studia nostra et officia erga III<sup>mam</sup> et

a) Cod.: quando.

R<sup>mam</sup> D. V. omni tempore et apud omnes contestata appareant. Valeat  
foeliciter III<sup>ma</sup> et R<sup>ma</sup> D. V. Datum ex urbe nostra Landishuta, die 2.  
mensis Decemb. anno 1593.

III<sup>mae</sup> et R<sup>mae</sup> D. V.

ad inserviendum paratissimus Guilielmus, Dei gratia comes  
Palatinus Rheni, utriusque Bavariae dux etc.

Guilhelmo (mppr.).

M. Haimelig.

18 (56). Hzg. *Wilhelm an Papst Clemens VIII.: In der Sache des Grafen v. Thurn gab Erzherzogin Maria auf erfolgte Anfrage Antwort und Aufschluss, wonach der Graf Katholik und ein geschätzter Minister ist. Landshut, Dezember 15, 1593.*

Ebd. f. 115 Original.

Beatissime pater etc. Paterne mihi mandavit nuper S<sup>tas</sup> V., ut hor-  
tarer sororem meam archiducis q[uondam] Caroli viduam, ne pateretur  
Ambrosium comitem à Turri Stiriacis adhiberi consiliis et rebus. Id  
ego pro meo debito diligenter quidem praestiti, soror vero aperte re-  
spondet: comitem hunc, quantum ipsa sciat, catholicum esse et pro  
tali eum se semper gessisse habitumque fuisse a plerisque aliis. Testi-  
monium huius rei illi dare sacerdotes catholicos et approbatos, qui  
eius audierint confessiones, seque ipsam hominem aliquoties vidisse  
communicantem sub una tantum specie; praeterea melius administrata  
fuisse utraque religionis et politiae negotia, cum consiliis ille inter-  
fuerit quam postea; et saepe optasse se pro ditionum illarum salute,  
ut sui ille patriae iterum copiam faceret et ad consilia accederet;  
credere se non deceptam fuisse hac opinione hactenus; si secus se  
viri aut fides aut ingenium habeat, minime se quidem eum probare;  
constare enim et sibi et omnibus, quae detimenta inferantur provinciis  
per haereticos consiliarios, quod ne filii sui haereditariis provinciis  
fieret, nemini posse esse maiori curae quam sibi etc. Ac cum (115<sup>v</sup>)  
adscriptissem ego nescio quid fore, ut res et ipsa soror S<sup>ti</sup> V. dis-  
pliceant, si haereticus promoveatur, illa valde rogavit, ut se hoc no-  
mine apud S<sup>tem</sup> V. humillime excusarem. Haec est summa literarum.  
Et debeo ego sorori credere, quia scio esse sinceram, et propterea ego  
oro S<sup>tem</sup> V., si opus est, ut ex hac causa benignam opinionem, quam  
de illa adhuc habuit, non deponat. Si tamen foemina forte fallatur  
(quod spero me propediem sciturum), S<sup>tas</sup> V. ulterius exerceat suam  
paternam sollicitudinem et pia mandata. Precor a Deo eidem S<sup>ti</sup> V.

omnem prosperitatem, me meaque omnia demississime commendans.  
Datum Landishutae die 15. Decembris anni 1593.

S<sup>tis</sup> V.

obsequentissimus filius ac servus  
Guilhelmus, Bavariae dux (mppr.).

*19 (57). Hzg. Wilhelm an Kardinal C. Aldobrandino: Der Herzog und der Erzbischof verstanden sich zu einer persönlichen Zusammenkunft, die wenigstens mit äusserlicher Freundschaft endigte. Die Konfirmation der Exemption der Propstei Berchtesgaden ist notwendig, neuen Unruhen vorzubeugen. Landshut, Dezember 15, 1593.*

Ebd. f. 116 Original.

III<sup>me</sup> etc. S<sup>mus</sup> D. N. de archiepiscopo Salisburgensi hactenus (nisi nostra nos fallit opinio) censuit patientia quadam et lenitate mitigari et vinci posse, saepeque ostendit optare se, ut inter nos et illum concordia fieret. Hoc S<sup>tis</sup> S. iudicium hocque desiderium tantum apud nos potuit, ut archiepiscopum nuper ad congressum colloquiumque nostrum provocaverimus. Ac venit ille quidem, itaque contulimus sermones et consilia nostra de privatis deque publicis praecipue rebus, unum et pene medium diem tam officiose, ut si interna (quod de nostra quidem sinceritate pollicemur, de archiepiscopo confidimus) non dissenserunt ab externis, plane facti simus amici, quod Deus, si est ad eius gloriam, confirmet. Facimus ea de re certiore S<sup>tem</sup> S., et oramus, ne longiori dilatione confirmationis exemptionis Berchtesgadensis materiam ad novos rumores et controversias relinquat. Quod cum per III<sup>mam</sup> D. V. unice promoveri queat, eam obnixe rogamus, ut S<sup>tem</sup> S. se ipsam et nos molestiis hisce penitus liberet. Putamus nos fecisse, quantum a devotione nostra erga S<sup>tem</sup> S. expectari unquam potuerit et ne insinuare quidem volumus, quid cogitemus, si archiepiscopus ab amici officio discedat, ne male videamur (116<sup>v</sup>) ominari. Nos nostram retinebimus exercebimusque integritatem et amicitiam hanc debitum prosequemur studiis. III<sup>n<sup>a</sup></sup> D. V. nos et filios nostros conservet in gratia S<sup>tis</sup> S. et in propria singulari benevolentia. Datum in civitate nostra Landishuta die 15. Decembris anni 1593.

III<sup>mae</sup> et R<sup>mae</sup> D. V.

addictissimus  
Guilhelmus, Dei gratia comes Palatinus  
Rheni, utriusque Bavariae dux etc.  
Guilhelmus (mppr.).  
U. Sperius.

*20 (58). Hzg. Wilhelm an Papst Clemens VIII.: Der Bischof von Ossero, apostolischer Nuntius, besuchte den bayerischen Hof und ver-*

handelte mit dem Jungherzog. Man darf sich von ihm Gutes versprechen.  
Schäftlarn, Februar 23, 1594').

Ebd. f. 126 Original.

Beatissime pater etc. In Bavaria mea fuit his diebus R<sup>mus</sup> epis-  
copus Ausserensis, S<sup>is</sup> V. nuncius. Eum autem ipse, quod equidem  
aegre ferebam, audire et amplecti non potui ob impedimenta et causas,  
quae satis me illi, ut existimatum fuit, excusarunt. Sustinuit tamen  
apud ipsum personam meam (quod valde crebro fit iam et quotidie  
fieri debet magis) filius meus, dux Maximilianus, cuius opera fideliter  
relatum mihi fuit, quae consilia ceperit S<sup>as</sup> V. pro Coloniensis reli-  
quarumque fratris mei electoris ecclesiarum salute proque illius ipsius  
fratris et filiorum meorum dignitate. In quo clare quidem agnosco re-  
verenterque colo et adoro S<sup>is</sup> V. paternam solicitudinem et benignam  
caritatem erga Germaniam nostram hancque meam ipsius et sanctae  
sedis apostolicae devotissimam domum. Deus has omnesque alias  
S<sup>s</sup> V. pias cogitationes dirigat ad sancti sui nominis gloriam christia-  
naeque reipublicae solatium. Caeterum quid D. nuntio respondi cura-  
verim, ipse sine dubio referet ad S<sup>tem</sup> V. De quo quidem viro filius  
meus et reliqui, qui cum eo egerunt, ac plane etiam ego ipse, quan-  
tum (126<sup>v</sup>) absens iudicare potui, ita sentimus, ut credamus ea ipsum  
prudentia, integritate et fide praeditum esse, quam rerum gravitas et  
hominum illorum mores omnino requirant. Commendo S<sup>ti</sup> V. me om-  
nesque meos cum omni humilitate et vero sinceri pectoris affectu.  
Ex Scheftlarn die 23. Februarii anni 1594.

S<sup>is</sup> V.

obsequentissimus filius

Guilhelmus, Bavariae dux (mppr.).

<sup>1)</sup> Ebd. f. 133, 136, Original, findet sich das gleichzeitige Parallelschreiben an den Kardinal Staatssekretär. Es lautet:

III<sup>me</sup> etc. Novo nos sibi eoque insigni obligavit beneficio III<sup>ma</sup> D.V., quod tam sinceram gerit curam de D. electoris Coloniensis fratris nostri rebus ac simul etiam de filiorum nostrorum fortuna. Nos, ut homo quilibet solet, ac quantum quisque debet, de privato nostro nostrorumque commodo cogitamus; aequem tamen certe et forte multo magis (quod christiani principis officium esse sci-  
mus) solliciti sumus de publico. Eo diligentius igitur commendamus III<sup>mae</sup> D<sup>ii</sup> V. res nostrates, quo certius eas cum salute reipublicae coniunctas esse aut coniungi posse animadverterit. Auditus fuit R<sup>mus</sup> episcopus Ausserensis nostro loco et nomine a dilectissimo filio nostro duce Maximiliano. Etsi enim cogitabamus res graves et secretas esse, quas ipse afferret, is tamen iam fuit valetudinis et rationum nostrarum status, ut cum nuntio apostolico idipsum facere coacti fuerimus, quod alias crebro iam facimus in rebus non minoris momenti. Est tamen filius etiam ea aetate et eo usu terum tamque integra potissimum fide et devotione erga sedem apostolicam, ut sciamus nos ei in omnibus confidere omniaque committere posse. Retulit autem ille nobis, quaecunque D. nuntius

21 (59). Hzg. Wilhelm an [Kardinal Madruzzo]: Antwort auf den Bericht von der Ankunft des Legaten zum Regensburger Reichstag; bayerische Legation ebendahin. Die Absicht des Kaisers, den Administrator von Magdeburg fernzuhalten. Der Herzog plante eine Anregung betreffs des Religionsfriedens, der Gravamina usw., steht aber davon ab in der Erwägung, dass sonst der Hauptpunkt hintangesetzt würde. Doch muss man auf alle Fälle vorbereitet und gefasst sein. München, April 29, 1594.

Ebd. f. 138 Kopie.

III<sup>me</sup> etc. Quemadmodum ex literis III<sup>mæ</sup> et R<sup>mæ</sup> D. V. necnon relatione sui secretarii et praefecti in Trameno huc ad nos missi per gratum nobis fuit cognoscere D<sup>nis</sup> V<sup>ae</sup> ad comitia Ratisponensia adventum, quem et religioni nostrae catholicae et rebus aliis in eisdem tractandis perutilem fore speramus atque fructuosum, ita vicissim condolemus D<sup>nem</sup> V. corporis infirmitate implicatam distineri hoc potissimum tempore, quo D<sup>ai</sup> V. ad sustinenda onera et labores publicae rei causa perferendos vires vel integerrimas ex animi nostri sententia optaremus. Excusatam vero habemus III<sup>mam</sup> et R<sup>mam</sup> D. V. merito ob iter maioris proficisciendi commoditatis gratia a nobis deflexum, quamvis adventus ad nos suus iucundus nobis accidisset, si modo de rebus coram tractare licuisse. Nos sane propter valetudinem nostram adversam inque hanc et illam partem subinde inclinantem minus adhuc certi sumus, utrum illico ad primum initium comitiorum an post illa coepita et aliquo usque provecta simus comparituri. Curabimus ta-

---

attulisset; quem quidem ita dimittendum curavimus, ut ne spes, quam in suo in Bavariam adventu habuisset, eum fefellisse videretur. Quod sane res ipsa sic suadebat et a nobis exigebat debitum nostrum obsequium erga s. sedem apostolicam officiumque perpetuum erga III<sup>mæ</sup> D. V. in nos et nostros benevolentiam. Ad quae plane etiam accedebat amor in ipsummet D. nuntium, qui ob dexteritatem et insignem quandam sinceritatem prudentiamque p[re] caeteris valde bene et sapienter electus ad hoc munus et ad haec ingenia esse censebatur. Illum igitur semper habebimus carissimum fidenterque cum eo agemus non de hisce solum, etsi magnis, quas attulit, sed etiam de aliis Germaniae rebus, ad quas illum III<sup>mæ</sup> D. V. eodem recto iudicio dignum esse censuerit ipsaque eum experientia foeliciter, ut opinamur, instruxerit. III<sup>mæ</sup> D. V. pergit nostris aut potius nostrorum favere commodis et rebus negotiisque omnibus tam sincere tam ex animo, quam adhuc experti sumus, et quam id vere desideramus. Deus illam conservet salvam et florentem. Ex Scheftlarn die 23. Februarii anni 1594.

III<sup>mæ</sup> et R<sup>mæ</sup> D. V.

addictissimus ad inserviendum  
Guilhelmus, Dei gratia comes Palatinus  
Rheni, utriusque Bavariae dux etc.  
Guilhelmus (mpqr.).  
U. Sperius.

men, ut saltem et in omnem eventum filius noster dilectus, dux Maximilianus, quem eo mittere plane decrevimus, et consiliarii nostri ad ista negotia a nobis deputati cum D<sup>ne</sup> V. consilia sua interim communicent, et omnia, quae necessaria eque re visa fuerint ac comperta habebunt, ad eandem semper referant, sicuti nec ipsi nos intermittemus de istis negociis religionis et prophanis sedulo cogitare mentemque ac animum nostrum Ill<sup>mae</sup> et R<sup>mae</sup> D. V. (138<sup>v</sup>) per literas aut per consiliarios nostros, si coram ipsi non possimus, exponere, opem quoque nostram et auxilium, si qua in parte requisiti fuerimus, non denegatur.

Magdeburgensem administratorem novas turbas propter praeten-sam sessionem et alia sub comitiorum primordia daturum et ipsi aliquandiu timuimus, sed intelleximus ex literis Caes. M<sup>tis</sup> ad nos datis S. M<sup>tem</sup> eo negotium direxisse, ut ipse administrator non compareat. Quod si hac in parte lites istae a protestantibus promovendae suae rei causa iam diu excogitatae anteverti poterunt et maiorum ac graviorum negotiorum impedimenta evitari, sperandum idem circa Halberstadiensem et alios aequi facili negotio eventurum minusque voti sui compotes futuros adversarios tum etiam religionem catholicam a graviore aliquo detimento immunem conservandam. Quam in curam proculdubio totis viribus incumbet ipsa Caes. M<sup>tas</sup>, incumbent omnes nobiscum catholici principes vestraque Ill<sup>ma</sup> et R<sup>ma</sup> D. pro suo in ecclesiam catholicam zelo et pro ratione muneris a sede apostolica sibi hac in parte commissi nihil intactum nihilque non pertentatum relinquunt. Priors Ill<sup>mae</sup> et R<sup>mae</sup> D. V. literas accepimus, sed propediem cum D. V. nos coram locuturos speravimus. Valeat foeliciter Ill<sup>ma</sup> et R<sup>ma</sup> D. V., cui officia nostra et studia paratissima deferimus. Datum ex civitate nostra Monaco die 29. mensis Aprilis anno 1594.

Ill<sup>mae</sup> et R<sup>mae</sup> D. V.

addictissimus et studiosissimus

Guilhelmus.

(139<sup>r</sup>) Postscripta.

Voluissemus equidem Ill<sup>mae</sup> et R<sup>mae</sup> D. V. communicare ea, quae sub proximis comitiis circa pacem religionis et similia negotia forent tractanda, siquidem consultum nobis videretur ea in medium proponere, nisi forte occasio quaedam sese obtulerit. Etenim in cogitationem nobis venit et in suspenso detinuit etiam id ipsum, quod D. V. scribit, S<sup>um</sup> D. N. sperare principum ac statuum animos hoc tempore et in isto conventu in eam concordiam atque unionem coalescere posse, ut coniunctis viribus communis fidei nostrae et christiani nominis hosti melioribus auspiciis quam hactenus obvietur ac resistatur. Atqui frequentioribus exemplis edocti scimus, quo pacto principes protestantes, quoties in comitiis imperii aliisque conventibus ex parte catholicorum religionis quaestio saltem aliqua fuerit mota, ipsi totis viribus reclamaverint et interea, dum de re tali diu multumque frustra laboraretur,

in negocio principali nihil fuisse effectum omnemque pene rei bene gerendae occasionem e manibus elapsam. Quapropter cum verendum, ne hoc ipso tempore magno cum reipublicae christianaे detrimento simile quid accidat, videtur potius maior temporis opportunitas expectanda quam intempestive urgendum, quod plus officere possit quam prodesse. Nihilominus autem coram ea de re tractabimus cum D. V., etsi id minus per valetudinem nostram fieri queat, etiam mandabimus dilecto filio nostro principi Maximiliano (139<sup>v</sup>) et consiliariis Ratisponam mittendis, ut ad omnem occasionem parati sint, huiuscmodi res religionis et similes emergentes ad D. V. referendi et suum communicandi consilium adeoque tractandi circa easdem, quod D. V<sup>ae</sup> videbitur. Fortassis etiam alterum horum accidet, ut vel ipsi protestantes gravamina sua contra catholicos principes et status Caes. M<sup>ti</sup> exhibeant vel ipsi priores causam praebeant catholicis de se conquerendi vel denique, quod omen Deus opt. max. avertat, etiam alias non poterimus in unum convenire, quarum occasionum aliqua si eveniat, non praetermittendum erit, quin tractatio plenior instituatur. In quem eventum occurrit in primis negotium Argentoratense, quod ut finem suum aliquando sortiatur maioresque tumultus praeveniantur, danda erit opera. Similiter Aquense et Juliacense, Halberstadiense item negotia et per plures iam annos magno catholicismi nostri cum incommodo protractae in imperio tragediae id generis amplissima suppeditabunt argументa. De aliis similibus nos interim cogitare non intermitteremus eaque D. V. vel coram vel per filium nostrum aut consiliarios insinuabimus. Valeat etc. Datum ut in literis.

Guilhelmus.

22 (60). *Hrzg. Wilhelm an Papst Clemens VIII.: Ueber die enge Verbindung Bayerns mit dem Heiligen Stuhl. Dispensgesuch für Herzog Maximilians Vermählung mit der Prinzessin Elisabeth von Lothringen. München, Mai 5, 1594<sup>1)</sup>.*

Ebd. f. 143 ff. Original.

Beatissime in Christo pater etc. Eam S<sup>ts</sup> V. hactenus semper expertus sum erga me et meos paterni animi benignitatem et affectum

<sup>1)</sup> Ebd. f. 142, Original, findet sich folgendes Parallelschreiben an den Kardinal Staatssekretär vor:

Ill<sup>me</sup> etc. Singularis amor et benevolentia animi, qua Ill<sup>mam</sup> et R<sup>mam</sup> Dem V. hactenus erga nos et nostros affectam fuisse multis modis experti sumus et adhuc experimur, suadent, ut institutum nostrum circa dilectissimi filii nostri natu majoris Maximiliani Bavariae ducis contrahendum matrimonium, de quo S<sup>mo</sup> D. N. humilime scribimus, sicuti ex adiuncto istarum literarum exemplo cognoscet, Ill<sup>miae</sup> et R<sup>mae</sup> Dni V. in primis notificemus, eidemque optime commendatum efficiamus. Perpendet proculdubio Ill<sup>ma</sup> et R<sup>ma</sup> Dio V. rei gerendae magnitudinem, cum catholicae religionis in ditionibus nostris conservatione et in-

singularem, ut consilia mea, conatus et actiones omnes cum catholicae religionis conservatione et dignitate coniunctas non approbaverit solummodo, sed clementissime adiuverit etiam et in effectum produxerit adeoque in his potissimum S<sup>tas</sup> V. suae paternae liberalitatis et indulgentiae vires exercuit, quae ad meam domus atque familiae meae totiusque ducatus et provinciae dignitatem, salutem atque emolumen- tum conservandum et augendum pertinerent. Nullum autem dubium mihi facio, quin S<sup>tas</sup> V. paternam hanc mentem conservet adhuc et in perpetuum sit conservatura; imo potius (143<sup>v</sup>) de S<sup>tis</sup> V. pia sollicitudine, qua me et meos tenerime complectitur ac fovet, adeo certam spem et fiduciam concepi, ut eadem fretus curam et cogitationes meas, quae hoc tempore me potissimum exercent, ad S<sup>tis</sup> V. pedes humili- mis hisce literis meis explicare ausim, certissimum praesentissimumque auxilium et sublevamen inde reportaturus. Est haec, beatissime pater, prima ac praecipua cogitatio mea, in quam totis viribus incumbo, quo pacto non tam antiquae domus Bavariae splendorem et amplitudinem quam avitae religionis catholicae integritatem et erga sanctam sedem apostolicam inconcussam obedientiam ad liberos meos et haeredes totamque posteritatem pleno iure transmittam. His etenim praesidiis et progenitores meos in omnibus rebus et actionibus suis foelices fuisse profiteor et ducatum et ditiones meas turbulentis his temporibus ab omni (144<sup>r</sup>) pene haeresis et malorum inde enatorum contagione im- munes ac liberas extitisse sum expertus et posteritatem meam floren- tem semper maiorumque suorum virtutum ac veluti per traducem ac- ceptaee foelicitatis participem fore censeo.

Quibus porro mediis hanc piam cogitationem hocque sanctum pro- positum (cuius contrarium adeo invisum et exosum habeo, ut in tota vita mea nihil mihi posset acerbius duriusque contingere) ad deside- ratum effectum perducere queam, inter alia maxime opportunum at- que conveniens videtur, si dilecto filio meo natu maiori Maximiliano

---

cremento neconon domus ac familiae nostrae honore et dignitate totiusque pro- vinciae pace et utilitate coniunctum atque ideo petitam a nobis et plane sperata- tam dispensationem apud S. S<sup>tem</sup> omni, quemadmodum potest et volet, studio, favore atque benignitate ad celarem atque optatum effectum promovebit. Nos vicissim pro ista benevolentia et officio III<sup>mæ</sup> et R<sup>mæ</sup> D<sup>nis</sup> V. benevolentiam nostram et officia paratissima repromittimus omnique tempore et loco praestare parati sumus. Valeat foeliciter III<sup>mæ</sup> et R<sup>mæ</sup> D. V. Datum ex Monaco nostro die 5. mensis Maii anno 1594.

III<sup>mæ</sup> et R<sup>mæ</sup> D<sup>nis</sup> V.

addictissimus et studiosissimus  
Guilielmus, Dei gratia comes Palatinus  
Rheni, utriusque Bavariae dux etc.  
Guilielmus (mppr.)  
Geewaldius.

duci, cum is annis pariter, prudentia rerumque usu sit matus, talem coniugem adiungam, quae praeter prosapiae claritatem eadem sinceritate catholicam religionem constanter amplecteretur, coleret, (144<sup>v</sup>) tueretur, nimirum ex catholicis parentibus catholicam quoque sobolem ventura aetas receptura. Huic animi mei consilio dum obstinatus inhaereo, non absque Dei providentia et voluntate, qua connubia iunguntur, evenit, quod ipse filius meus Ser<sup>mi</sup> et Ill<sup>mi</sup> Lotharingiae ducis, cognati et affinis mei filiam virginem Elisabetam praeter quamvis aliam Germaniae vicinarumque nationum principem caste amat eandemque coniugem suam fieri expetit. Ipse vero Lotharingiae dux paternum affectum et singularem benevoli animi inclinationem erga filium meum declarat. Spero itaque propediem certa numinis divini ordinatione inter praefatas personas matrimonium contractum iri, quarum maiores utrinque, sicuti novit S<sup>tas</sup> V., quam ab initio acceperint religionem catholicam, eamque sanguine ac fortunis suis aliquoties tutati sunt, quam etiam virtute (145<sup>r</sup>) et labore ad alios propagarunt, eandem salvam adhuc, incorruptam et integrum profitentur, tenent et tueruntur, quae personae propter optimam educationem, pietatem et caeteras virtutes, quae in animis ipsorum alte radices egerunt, a progenitorum suorum vestigiis ne latum unguem, Deo assistente, in dexteram vel sinistram declinabunt, inter eas inquam personas spero propediem magno cum catholicismi in his partibus commodo matrimonium contractum iri, si S<sup>tas</sup> V., quemadmodum humilime confido, impedimentum, quod obstat, clementissime sustulerit. Pertingunt quippe ambae personae invicem in secundo cognitionis gradu, principis futurae sponsae patre, predicto Lotharingiae duce, dilectae coniugis meae fratre germano existente. Id sperati matrimonii obstaculum ut S<sup>tas</sup> V. apostolica auctoritate tollat ac removeat, humillime etiam atque etiam contendo, et S<sup>ti</sup> V. vicissim omnem obedientiam ac devotionem polliceor. Deus opt. max. S<sup>tem</sup> V. in solatium et utilitatem suaee ecclesiae catholicae quam diutissime conservet incolumem. Datum ex Monaco nostro die 5. Maii anno 1594.

S<sup>tas</sup> V.

obsequentissimus et devotissimus filius ac servus  
Guilhelmus, Bavariae dux (mppr.).

23 (61). *Derselbe an denselben: Vor und nach dem päpstlichen Mahn breve kannte der Herzog die Türkengefahr und die Notwendigkeit der Gegenwehr. Zur Beschickung des Regensburger Reichstages und zur bayerischen Diplomatie. Starnberg, Juli 20, 1594.*

Ebd. f. 151 Original.

Beatissime pater etc. Eram vere paratus et inflammatus ad omnia subsidia bellica contra Turcam in his comitiis decernenda, cum ante

paucos dies <sup>Stis</sup> V. Breve ad me misit <sup>Illmus</sup> cardinalis legatus, quibus illa me ad idipsum officium plane paterne simul et benigne hortata est. Versantur enim mihi ante oculos miseranda ista et deploranda detrimenta, quibus truculentus et insatiabilis ille hostis totam christianam rempublicam ab aliquot saeculis affecit, quaeque is eidem hoc ipso potissimum tempore non minatur solum, sed iam reipsa infert in ipsas Germanorum cervices. Scio meam provinciam excursionibus, populationibus, vastationibus, tyrannidi omni patere planeque proximam interitui esse, si (quod praepotens et propitius Deus in aeternum avertat) Hungarica ille propugnacula et Viennam occuparet. Scio, quid officium a christiano et catholico principe exigat, quid etiam antiqua nationis huius laus et avita domus meae gloria a me requirat. Non potui tamen ego ipse comitiis per valetudinem meam interesse, misi autem meum filium, ducem Maximilianum, et meos aliquot praeципuos ministros, qui hac in parte meas supplerent vices; quod spero ita adhuc fieri, ut finis integratii et promptitudini meae illorumque fidei testimonio esse beat. (151<sup>v</sup>) Opus autem fuit in tot diversorum hominum conventu arte et dissimulatione aliqua, maxime circa principium, ne, si suffragia nostra statim et ferventer in Caesaris irent, optata pleraque consilia nostra suspecta iis fierent, qui sciunt, quam sim coniunctus sanguine et animo Caes. S. M<sup>ti</sup>, et quam vicinae periculo sint ditiones meae. Orandum est Deus opt. max., ut dirigat consilia haec omnia et arma eventumque belli, quibus <sup>Stas</sup> V. pie quotidie benedicat. Caeterum ego me meosque omnes <sup>Sti</sup> V. demississime commendabo et subicio. E Starenberga die 20. Julii anno 1594.

<sup>Stis</sup> V.

obsequentissimus filius ac servus  
Guilhelmus, Bavariae dux (mppr.).

24 (62). Hzg. Wilhelm an Kardinal C. Aldobrandino: Die bereits zum voraus angemeldeten Geschenke sind eingetroffen. Sind sie nicht mit Ablässen versehen, so wird hierum ersucht. Starnberg, Juli 28, 1594.

Ebd. f. 156 Original.

<sup>Illme</sup> etc. Scriptum fuerat ad nos iam pridem <sup>Illmam</sup> D. V. munera quaedam ad nos misisse per Reginum; sed ea non nisi ante paucos dies habuimus; vere autem placent. Pia enim sunt et artificiosa. Non debebat nos tamen <sup>Illma</sup> D. V. post reliqua sua in nos tam praeclara merita hac nova ratione obligare. Cupimus scire, an id habeant munera illa, quod optamus, indulgentias nimirum, aut an saltem petere liceat, ut hoc pulcherrimo ornamento expoliantur; quod per ipsam <sup>Illmam</sup> D. V. obtineri nobis velimus, ut omnem rei perfectionem abs ea sola habeamus. Nos <sup>Illmam</sup> D. V. ex animo complectimur, amamus et

observamus eique precamur veram foelicitatem. Starenbergae die 28. Julii anno 1594.

III<sup>mae</sup> et R<sup>mæ</sup> D. V.

addictissimus

Guilhelmus, Dei gratia comes Palatinus  
Rheni, utriusque Bavariae dux etc.

Guilhelmus (mppr.).

U. Sperius.

25 (63). *Hrzg. Wilhelm an Papst Clemens VIII.: Angelegentliche Empfehlung Minuccis für die nächste Kardinalspromotion aus verschiedenen Motiven. München, September 9, 1594.*

Ebd. f. 158 Original (eigh.)

Beatissime pater etc. Non potuit meum desiderium, ut dominus Minutius, S<sup>tis</sup> V. fidelissimus minister, cardinalis fiat, satiari iis literis, quas cum fratre meo D. electore ad S. V. dedi, scribo has igitur separatim et promitto S. V., quod sincere credo ipsam non posse suae et apostolicae sedis autoritatem melius inter nos Germanos stabilire, quam si hunc virum cardinalem creet. Plus enim apud hos populos, spero, per illum obtinebit quam per quemvis alium forte. Est enim permultis bene notus, Germaniae amantissimus, dexter et indefessi laboris. Dabit haec dignitas omnibus suis consiliis et adhortationibus debitam ac necessariam autoritatem. Interesset postea et mei et memorum hunc virum esse cardinalem; possem ego cum maiori fructu ut eius opera apud fratrem Ernestum, filios et alios ad magnum reipublicae et nostrum omnium commodum et V. S<sup>t</sup>i ipsimet non parvam forte consolationem. Itaque S<sup>t</sup>em V. summa (158<sup>o</sup>) instantia humiliter supplico, ut statuat suum Minutium in proxima promotione cardinalem abs se creari debere; id etiam non minus faciam, quam si hoc tempore vel fratrem vel filium ornasset. Commendo me ex devotissimo animo una cum domino Minutio in S. V. singularem gratiam. Monachii 9. Septembris anno 1594.

S<sup>tis</sup> V.

obedientissimus et obsequentissimus filius ac servus  
Guilhelmus, Bavariae dux.

26 (64). *Derselbe an denselben: Bericht über den Abschluss der Ehe zwischen Maximilian von Bayern und Elisabeth von Lothringen mit Gesuch um die päpstliche Benediktion. München, September 14, 1594.*

Ebd. f. 165 Original.

Beatissime pater etc. Foeliciter successit dilectissimi filii mei ducis Maximiliani matrimonium cum ducis Lotharingiae filia, postquam S<sup>tas</sup> V. super eo benigne dispensasset eidemque paterne benedixisset. Habuimus enim nostros commissarios et procuratores mense proximo

praeterito in Lotharingia, qui non solum pacta dotalia caeteraque eiusmodi confecerunt, sed matrimonium etiam filii nomine et verbis contrixerunt, per verba de praesenti. Quod S<sup>i</sup> V. pro mea erga eam devotione et fiducia communicare volui, humillime sperans eam id gravi suo iudicio approbaturam esse matrimonioque denuo concessuram suam et Christi Dei nostri benedictionem, ut respulca christiana inde commodum capiat et solatium, domus vero nostra incrementum et gloriam. Quod mecum demississime orat ipse Maximilianus. Commodo nos unice et humillime. Datum in mea civitate Monachio die 14. Septemb. anno 1594.

S<sup>tis</sup> V.

obsequentissimus filius ac servus

Guilhelmus, Bavariae dux (mppr.).

27(65). *Derselbe an denselben: Zur Ausführung der Absicht, in Landshut eine Kollegiatkirche zu errichten, erbittet sich der Herzog das Gutachten der Kurie über die beste Art und Weise. München, Oktober 13, 1594.*

Ebd. f. 169 Original, mit Notiz in tergo: A Monsig. Tarusio. — 8. Nov. 1594: Sacra congregatio censuit magis expedire, ut quoad habitationem eandem habeat domum canonicalem, quo vero ad victimum, culibet assignet sua portio seu distributio pro modo servitii cum praebenda ad congruam substantiationem. — Placuit Smo.

Beatissime pater etc. Cogito constituere ecclesiam collegiatam in mea civitate Landishuta, quemadmodum paulo post ad S<sup>tum</sup> V. plene perscribam. Sunt autem duo potissimum modi eiusmodi erigendi ecclesias: unus, ut canonici omnes una sint in una eademque domo et communi utantur mensa, uti memini me vidisse Laureti; alter, ut canonici singuli separatim habitent et vivant. Ego itaque haereo, utram formam ecclesia haec mea habere debeat, ut loco et temporis quam rectissime conveniat et serviat. Cum vero res meas omnes S<sup>tis</sup> V. sapientissimo iudicio libentissime subiciam hocque negocium per se tale sit, ut e S<sup>tis</sup> V. decreto geri debeat, eidem S<sup>u</sup> V. humillime supplico, ut se a gravissimis suaque maiestate dignis curis tantisper demittat, ut hanc rem paulum consideret vel uni sacrae congregationi mandatum det, hoc faciendi et suam mihi impertiatur sententiam, quid factu optimum sit. Circumstantiae praecipue ponderandae erunt, quas inclusa continet pagina, in qua casum paulo latius exprimi curavi<sup>1)</sup>.

<sup>1)</sup> Gemeint ist folgendes Schriftstück, ebd. f. 170 f., Original:

Sermus princeps Guilhelmus, utriusque Bavariae dux et comes Palatinus Rheni etc., de erigenda collegiata ecclesia canonicorum saecularium Landishutae iam pridem serio cogitavit.

Est vero Landishuta civitas populo non infrequens, metropolis inferioris Bavariae et regimine sive consilio ducali illustris, dioecesis Frisingensis, quo loco praeter duas parochiales ecclesias duoque virorum mendicantium monasteria

Habebit S<sup>tas</sup> V. ex re bene (169<sup>v</sup>) pieque instituta gloriam et mercen-  
dem. Commendo et subicio S<sup>ti</sup> V. me, filios, domum totam et omnia  
mea humillime, Deumque precor, ut ipsam mihi et christiana reipu-  
blicae quam diutissime conservet incolumem. Datum in civitate mea  
Monachio die 13. Octobris anno 1594.

S<sup>ts</sup> V.

obsequentissimus filius ac servus

Guilhelmus, Bavariae dux (mppr.).

28 (66). *Derselbe an denselben: Expektorationen über Türken-  
gefahr und Türkenkrieg. Der Erzbischof von Köln machte zu diesem  
Zweck eine Reise an den Kaiserhof und wird die Tour fortsetzen, wenn  
der Kaiser seine Zustimmung gibt. Die bayerischen Fürsten sind zur Auf-  
wendung aller ihrer Kräfte bereit. München, November 10, 1594.*

Ebd. f. 174, 176 Original.

et paucos aliquos simplices sacerdotes nemo hactenus ecclesiastici ordinis extitit. Quamobrem S. Sert<sup>as</sup> cum primis optaret, ut ad ornamentum non duntaxat civitatis, verum etiam cultus divini et ubiores pietatis fructus atque etiam S. Sert<sup>is</sup> populorumque suorum maiorem consolationem accederet collegium earum personarum, quae cum primis morum gravitate et honestate tum etiam doctrina et eruditione caeteros longe antecellerent, ita quidem ut Sermus princeps earum consilio et auxilio non tantum ad sartam tectam conservandam in suis provinciis religionem catholicam, verum etiam in administratione iustitiae aliquis officiis et negotiis publicae gubernationi annexis (quatenus tamen ecclesiasticam dignitatem et statum non dedecet) iuvari ac dirigi posset.

Quandoquidem vero eiusmodi collegia et collegiatae ecclesiae duobus modis institui possunt, vel primo ad normam antiquae pietatis, ut omnes tam canonici quam capellani horumque administri in iisdem aedibus cohabitent eademque non tantum mensa, verum etiam disciplina utantur, sub clausura convenienti et discreta, quantum videlicet propositae intentioni magis vel minus deservierit, ea tamen lege, ut nullis plane votis (in quo a canonicis regularibus differunt) astringantur, sed habere <sup>a)</sup> proprium et exceptis constitutionibus huic ecclesiae propriis (quemadmodum singulis fere ecclesiis hoc commune est) in reliquis omnibus liberi esse valeant et possint.

Vel secundo ad modum aliarum ecclesiarum cathedralium vel collegiatarum universae Germaniae, videlicet ut canonici seorsim omnes propriis domibus habitent et commune plane nihil habeant praeter communes praebendarum fructus, singulis tamen propriis, distributiones quotidianas, commune templum communemque ritum persolvendi horas canonicas, denique conventus et tractatus capitulares.

Utra itaque forma ex his duabus potior sacrisque canonibus sit conformior, aptior pietati et pro loco et tempore necnon intentioni superius explicatae atque adeo fini S. Serti proposito commodior, prudentium, timentium Deum et ecclesiae integritatis amantium trutinae, censurae et iudicio committit, sua consilia et cogitationes horum iuxta definitiones conformiter executura.

a) Cod.: hbere.

Beatissime pater etc. Tam sollicitum tamque anxium perpetuo me tenet bellum contra Turcas, quam possit ullum alium imperii principem, quisquis ille sit. Sum enim ego periculo ipsique crudeli servituti proximus, si parvas Hungariae reliquias hostis ille rapiat. Nam nihil est per Austriam unica Vienna excepta (in qua vero res nomini nequaquam respondere dicitur) et per Bohemiam totam, quod inhumano isti furori resistat. Est autem his ambabus provinciis Bavaria mea finitima. Utram igitur barbarus ille ingressus fuerit, omnem illico cladem meis caris et fidelibus populis ditionique toti vastitatem inferet. Nihil enim omnino munivit, ut S<sup>tas</sup> V. noverit, natura hanc provinciam, ars solum Ingolstadium, quod autem non est in his confiniis. Quotidie versantur mihi ante oculos calamitates istae, caedes, rapinae, incendia, desperationes, clamores in coelum. Etsi enim satis magnum habeo populum, qui deberet posse mediocrem exercitum arcere, vim tamen admirabilem habet ad contundendos et prosterrendos homines ipsum nomen Turcarum et fama victoriae, cui omnis insit crudelitas; et est praeterea potentia huius tyranni tam magna, ut integri imperii vires provocet. Consuevi igitur considerare, (174<sup>r</sup>) unde sperare mihi <sup>a)</sup> defensionem liceat, unde consilium et opem? Et sane in Dei singulari praesidio eo maiorem spem habeo, quod Bavaria haec mea verum catholicae religionis cultum a primo conversionis suae exordio nunquam depositum, de humanis autem auxiliis nil invenio solidi, nil quod tantae moli sufficiat. Solarium meum (vera scribo) summum semper fuit estque plane adhuc in S<sup>tas</sup> V. sapientia, sollicitudine, auctoritate, consiliis et subsidiis, quibus si Germania destitueretur, actum profecto esset de hoc olim fortissimo et foelicissimo regno ad maximum certissimumque christianaे religionis interitum. Itaque non praetermississem S<sup>ti</sup> V. publico totius Germaniae privatoque meo et populorum meorum nomine humillime creberrimeque supplicare, ne nos pateretur esse desertos, nisi mecum tota Germania scivisset omnesque christiani populi S<sup>tem</sup> V. sua sponte instar Moysis stare super vertice montis et levare manus suas. Sunt igitur potius agendae S<sup>d</sup> V. gratiae quam commendationes rei nostrae ad eam instituendae. Hoc tamen maxime oranda est S<sup>tas</sup> V., ne manus illas vel paululum etiam remittat, et praeterea, ut ipsamet quaerat viros idoneos, qui easdem eius manus, quemadmodum Moysi (175<sup>r</sup>) fecerunt Aaron et Kur, sustentent ex utraque parte, ne lassentur. Coniungat S<sup>tas</sup> V. auctoritate sua christianorum vires, excitet inflammetque vecordes et tepidos causam totam sua administret et tueatur prudentia. Recognoscat defectus eosque paterne recompenset. Hoc sine dubio summe obligabit opt. Imperatorem, obligabit afflictissimam Hungariam, infoelicem Germaniam omnesque eius principes, populos et gentes, non catholicos solum, sed ipsos etiam

a) Cod.: nihil.

haereticos, quos nemo scit, quo forte medio Deus a via tenebrarum et ab erroribus revocare in veram semitam et ad matrem ecclesiam velit. Hoc certum est, quod multi haeretici <sup>St<sup>m</sup></sup> V. praedicant et collunt, quod tantum ferat suppetiarum in bellum hoc, quod exterios populos in nostram omnium defensionem armet, quod tot tamque varias instituat ob eandem rem legationes. Frater meus, elector Coloniensis, nuper Pragam profectus est, ut Caesari, si possit, aliquid aut consilii aut solatii det circa hunc rerum statum, profecturus inde, si S. Caes. M<sup>t</sup> ita videatur, ad praecipuos aliquos (175<sup>v</sup>) imperii principes, ut ipsis commune totius patriae periculum praesentissimumque exitium ob oculos ponat iisdemque persuadeat Turcas non solum Hungariae et Austriacis ditionibus inhiare, sed toti Germanico imperio et sic singularum provinciis planeque cervicibus, nec sane putare eos (quod faciunt) debere, si vincatur Turca, in ipsos protestantes arma vertenda esse; nec enim vinci tantum hostem facile posse nec offensive iam belligerandum esse, sed defensive, et ita quidem defensive, ut, si succumbamus, omnes omniaque nostra in perpetuum rapiantur in exitium ipsiusque Christi Dei cultus in hisce maximis ditionibus pereat etc. Quod ad me attinet meumque alterum fratrem, ducem Ferdinandum, et filium Maximilianum, parati sumus, pro cuiusque nostrum talento, omnia facere, quae <sup>St<sup>as</sup></sup> V. iudicet per nos fieri posse, et quae iubeat. Consilia magna virosque magnos et peritos et multos haec belli moles requirit. In hoc consistit summa totius rei, quae, etsi <sup>St<sup>i</sup></sup> V. summe commendata est, commendo ta-(176<sup>v</sup>)men ipsam eidem <sup>St<sup>i</sup></sup> V. tanta diligentia et humilitate, quantae mihi curae esse debet propria mea, meae domus, meorum carissimorum liberorum, meorum subditorum, tot mille animarum, patriae, Germaniae totius et universae christiana reipublicae salus et conservatio, Deum unice orans, ut nobis omnibus <sup>St<sup>m</sup></sup> V. hoc calamitosissimo saeculo salvam et florentem conservet. Datum in civitate mea Monachio die 10. Novembris anno 1594.

<sup>St<sup>is</sup></sup> V.

obsequentissimus et humillimus filius et servus  
Guilhelmus, Bavariae dux (mpqr.).

29 (67). *Derselbe an denselben: Tod des Propstes Pütrich von Berchtesgaden. Gesuch um Annahme und Schutz des Herzogs Ferdinand von Bayern als Nachfolgers. Schaeftlarn, Dezember 15, 1594.*

Ebd. f. 179 Original.

Beatissime pater etc. Mortuus est his diebus praepositus Berchtesgadensis, cui <sup>St<sup>as</sup></sup> V. filium meum, ducem Ferdinandum, non ita pridem in coadiutorem et certum successorem dedit. Supplico igitur <sup>St<sup>i</sup></sup> V. humillime, ut animae defuncti et Ferdinandi successioni clementissime benedicat huncque novellum praepositum et ecclesiam Berchtesgadensem sub suam paternam, apostolicam et plane singularem protectio-

nem, fidem et gratiam suscipiat perpetuoque unice tueatur et commendatissimum habeat, uti quidem St<sup>i</sup> V. me etiam ipsum et omnia mea demississime subicio. Datae ex Scheflarn 15. Decembris anno 1594.

St<sup>is</sup> V.

obsequentissimus et devotissimus filius ac servus  
Guilhelmus, Bavariae dux (mppr.).

*30 (68). Derselbe an denselben: Die ungeordeneten Zustände, besonders die Schuldenlast in der Markgrafschaft Eduard Fortunats von Baden hatten bereits zum Eingreifen Anlass gegeben, als Ernst Friedrich von Baden die Herrschaft besetzte. In einem Schreiben an den Kaiser rechtfertigte er sein Vorgehen. Der Herzog von Bayern ersah die Gefahr für den Katholizismus und wendet sich wie schon zuvor an Kaiser und Nuntius, so jetzt an den Papst. München, Dezember 22, 1594.*

Ebd. f. 180 f. Original.

Beatissime pater etc. Forte non ero primus, per quem St<sup>i</sup> V. afferatur nuncius de infoelici statu marchionatus Badensis. In eo fere tota ceciderat catholica religio sub marchione quondam Philiberto ante triginta circiter annos. Hanc vero restituit cum magno labore et magno zelo colendissimus quondam parens meus, qui defuncti filio marchioni Philippo curator datus fuerat. Nec erat dubium, quin eam Philippus penitus conservaret, cum praecipue post diligentem educationem Laureti (sunt novem aut decem anni) miraculum in eo fieret ad brachium et Romae ipse multa bona audivisset tandemque catholica ei foemina desponsata esset, Sibilla Iuliacensis. Deus autem evocavit ipsum e vita, et sic marchionatus devenit ad Eduardum Fortunatum, quem St<sup>as</sup> V. noverit, cuius et quattuor eius fratribus, quos educavi, cum ego curator essem, saepe et graviter ipsum monui, ut ante omnia catholicam tueretur religionem. Hoc ille promisit et satis etiam praestitit. In reliquis autem ita adhuc se gessit, ut optarim aliter. Habuit inter caetera magnum aes alienum a Philippo sibi relictum, quod, cum paulatim deberet solvere, ipse auxit. Varie itaque et saepe tractatum fuit per Imperatorem, per me et alios, quid (180<sup>o</sup>) consilii in magna rerum illarum confusione caperetur. Ac cum iam Caes. M<sup>tas</sup> plane videretur decrevisse, quid fieret, improviso rumor oritur alium marchionem Badensem, Ernestum Fridericum, totum marchionatum adscitis sibi auxiliaribus copiis palatini electoris et ducis Wirtenbergici vi occupasse. Dum haesito, quaero et conqueror, mittit mihi ipse Ernestus Fridericus exemplum literarum, quas ad Caesarem de-derit, ut ex iis colligam, si lubeat, facti rationem. Haec, ut brevissime dicam, sic se habet. Imperii et sua tanquam agnati scribit interfuisse, ne marchionatus desolaretur aut periret. In eo autem omnia iam pri-dem copta esse dilapidari, iustitiam nemini administrari, impleta esse omnia latrociniis, a quorum suspicionibus ipse forte Eduardus Fortu-

natus liber non sit. Ex quo magna nota ad se, Ernestum Fridericum, et hoc etiam damni pervenerit, quod sibi diminuta sint vectigalia, sine quibus tamen contributiones S. Caes. M<sup>ti</sup> solvere non posset. Ad hoc rogatum se fuisse a multis ex Eduardi Fortunati populo, ut afflictis rebus moderaretur seque saepe coactum fuisse aliqua Eduardi Fortunati debita solvere, cum sui tanquam scilicet et ipsi Badenses subditi a creditoribus eius detinerentur (181<sup>r</sup>) et arrestarentur. Item periculum magnum fuisse, ne marchionatus ille ab imperio Romano, non ignobile caeteroquin eius membrum, discinderetur et laceraretur. Ob haec et alia se marchionatum illum plane occupasse et a subditis iuramentum subiectionis fidelitatisque accepisse, se vero creditores contentaturum, omnia recte et iuste administraturum ac sperare in possessione se relinquendum esse; si Eduardus Fortunatus aut quispiam alias se opponat, in iudicio se ei responsurum. Haec est, ut scripsi, summa. Etsi igitur crederem Ernestum Fridericum ea ita scripsisse ad Caesarem et sperarem S. M<sup>tem</sup> mature deliberaturam, quid opus esset, supplicavi tamen eidem M<sup>ti</sup>, ut diligenter caveret, ne religio catholica tam aegre restituta et tam aegre, satis bene tamen, servata hactenus ex ea provincia exterminaretur. Hortatus sum etiam S<sup>uis</sup> V. nuntium in ea aula, ut videret, quid per se in hac causa fieri posset. Et etsi igitur confido S. Caes. M<sup>tis</sup> optimae voluntati ac vigilantiae nuntii, volui tamen haec S<sup>ti</sup> V. aperire eidemque (quod humillime facio) supplicare, ut rem hanc in numerum suarum gravissimorum curarum adscribat sciatque (181<sup>v</sup>) aliquot civitates, oppida aliquot, monasteria, plurimos pagos et plurima animarum millia in extremo esse periculo, ne singulis diebus planeque momentis in haeresin rapiantur, qua Ernestus Federicus irretitus et immersus est. Scio, beatissime pater, alia multa esse iam, in quibus Germania S<sup>uis</sup> V. paterno auxilio et gratia indigeat, inter quae summum est res bellica, sed oro et obtestor, non deserat S<sup>tas</sup> V. causam hanc. Sperarem exquisita Caesaris autoritate et supremis mandatis aliquid effici posse. Interim dextre consolandi et confirmandi essent catholici. Accipiet S<sup>tas</sup> V. huius rei mercedem in coelo, si eam, ut solet omnes res alias, sibi curae sumat. Vult nimirum Deus Germaniam castigare, sed tamen memor erit, spero, misericordiae suae, cuius instrumentum sit S<sup>tas</sup> V. Commodo et subicio me meosque filios et omnia S<sup>ti</sup> V. humillime. Datum in civitate mea Monachio die 22. Decembris anno 1594.

S<sup>ts</sup> V.

obsequentissimus et devotissimus

filius ac servus

Guilhelmus, Bavariae dux (mppr.).

31 (69). Derselbe an denselben: Nach Pütrichs Tode gelangte Ferdinand von Bayern zur Nachfolge in der Propstei Berchtesgaden.

*Der Erzbischof von Salzburg verlangte Huldigung, verzichtete aber hernach auf sie, bis auf weiteres. München, Januar 19, 1595.*

Ebd. f. 121 Original.

Beatissime pater etc. Paterne, sapienter et pie egit S<sup>tas</sup> V., quod me et archiepiscopum Salisburgensem tam benigne simul et graviter hortata est, ne novas mortuo iam praeposito Iacobo de praepositura Berchtesgadensi incipiamns contentiones. Credo Deum hoc S<sup>tis</sup> V. desiderio commotum fuisse, ut suam singularem ad rem hanc benedictionem e coelo dederit. Nil enim omnino inter archiepiscopum et me intercessit, quod ullam saperet simultatem aut dissensionem. Misit ille quidem ad me quattuor suos consiliarios, qui peterent, ut filius meus Ferdinandus, novus praepositus, homagium sibi praestaret eiusque rei varias mihi rationes recenserent. Cum vero e diverso per meos demonstrarem, quare hoc fieri non posset, res sic fuit composita, ut homagium illud non praestetur, donec archiepiscopus id sibi deberi per summi et competentis iudicis sententiam obtineat, et vero suspensio haec nec archiepiscopatus nec ecclesiae Berchtesgadensis iuribus quicquam prae-(121<sup>o</sup>) iudicii afferat, caeterum bona utrinque colatur amicitia et vicinitas. Quod ita plane conclusum fuit ipso die hesterno. Sic filius meus iam tandem quiete et pacifice (nil aliud enim se ostendit) ad praeposituram accedit; quod S<sup>t</sup> V. gratissime devotissimeque acceptum ferimus. Commendo me et filios aliaque mea omnia S<sup>t</sup> V. humillime. Datum in civitate mea Monachio die 19. Ianuarii anni 1594<sup>a)</sup>.

S<sup>tis</sup> V.

obsequentissimus filius ac servus

Guilhelmus, Bavariae dux (mpqr.).

a) sic!